

NONNULLA
DE
NEURALGIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITERARIA TURICENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE
OBSTETRICIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. DECEMBRIS ANNI MDCCCXXXV

PUBLICICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

CAROLUS KOTTMANN,

SOLODORANUS.

TURICI

TYPIS ORELLII FUESSLINI ET SOCIORUM

MDCCCXXXV.

1881

DE

W. H. B. & A. H. B. & C.

DISSEMINATED

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

GRADUATE MEDICAL DEPARTMENT

IN 1881

UNIVERSITY OF CHICAGO

1881

IN MEDICINE - OBSTETRICS

OBSTETRICS HONORARY

AND Gynecology

THE XIV DECEMBER AND NOVEMBER

1881

CHARLES H. B. & A. H. B. & C.

1881

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1881

PRAEFATIO.

Universitatum ritus laudabilis, qui literarum tirones ad finem curriculum academici commentationem ad impetrandos Doctoris honores, documentum scientiae et cognitionis literarum studio comparatae, perhibere, iubet, grave iis opus imponit. Deligere enim materiam difficile; difficilius autem delectam elaborare. Attamen levamen eius rei, quod in academiis literarum studiosi benevolentiae professorum debent, equidem patri meo maxime colendo debeo, quo duce Soloduri, patria mea, quae nosocomio omni re necessaria instructo et aliis publicis humanitatis institutis gaudet, aegrotos visitandi occasio mihi fuit data. Illi igitur, studia mea adiuvanti et in medici munere atque officio exsequendo mihi succurrenti, hic gratias quam maximas solvo.

Illustri autem Magistratui Solodorano, assidua cura civium salutem amplectenti, hanc commentationem, studiorum meorum primitias, una cum firmo proposito, ipsius et civium meorum saluti et vires et scientias meas consecrare, pio gratoque animo dedicare mihi liceat.

Quemadmodum variis temporibus etiam varius morborum genius, imperium funestum tenens, saepius aliquot lustra paucis cum mutationibus durans, ipsi adeo climatis, anni temporum regionumque influxui ac hominum animaliumque consuetudini resistens, praevalet: ita idem ille suam saepe indolem omnibus ceteris morbis imprimit, eos implicat et propria ratione dirigit. Itaque hic dignus sane est, cui medicus diligenter animum advertat, quod, eo neglecto, raro aegrotos per vitae pericula feliciter ducere poterit.

Qui morborum genius diutius praevalens peculiarem procreat curandi methodum, quae capta a viris eximio ingenio praeditis novis originem dat artis medicae systematibus, quae quidem, plerumque ab altero ad alterum extremum abducentia, recentiores iique iuniores novitatis studio moti cupide amplectuntur, et aliquamdiu colunt atque defendunt. Nostrorum autem medicorum sententiae, doctrinae et curandi rationes *constitutionis morborum* influxu innituntur. Sed hi novorum systematum auctores eorumque discipuli, quamvis opinentur aeternas leges invenisse, inscii ducuntur superioribus et validioribus naturae legibus, quae semen interitus cuique systemati, etsi

morborum constitutioni, quaecunque valeat, perfecte convenienti, minantis, condunt.

Iam vero medicus aetate ac scientiis maturior, studiis et observationibus magis eruditus, morbi perscrutatur genium suo tempore regentem, caute novum examinat systema, eligit bona reiicitque falsa et ipse illius genii vim atque imperium moderatur. Unde venit, ut omni tempore, quodcunque systema coleretur, medici essent, qui praxi felici in tuenda hominum salute et sanandi arte magnam gloriam celebritatemque nanciscerentur. Qui igitur sublimiore ingenio praediti et simul mutata denuo morborum indoles atque constitutio ephemerum systema extremum novo cedere cogunt.

Quae modo diximus vera esse, Stollii systema probat tempore illo, quo morbi gastrici et biliosi praevalebant et methodus evacuans quam maxime adamabatur; postea theoria incitatoria Brownii, ingeniosi medici Anglici, tempore illo exorta, quo nervorum morbi prae ceteris frequentes occurrebant; quod systema eo, quod fere omnes sanguinis et alvi evacuationes proscribebat et medicos iuniores simplicitate sua alliciebat, ingens generi humano damnum intulit. Contra et plures medici seniores non satis eruditi, mutatam morborum constitutionem non animadvertentes, methodum Stollii sequebantur. — Primo huius saeculi lustro peracto, quum genius morborum inflammatorius appareret, Broussais, medicus Franco-Gallicus, cum lancetta et hirudinibus surrexit, qui cum discipulis suis, quoad vigorem in vasibus et ruborem in genis animadvertabant, hominum sanguinem adinstar vam-

pyrorum exsugebant ac detrahebant. Quod ea doctrina etiam Germaniam invasit, Grossi, vir humanissimus, celeberrimus clinices professor Monachii, vitae pretio solvit.

Brownii methodus, qua vires vehementioribus medicamentis nimis excitantur, ab hac parte, et Broussaisii methodus, qua illae sanguine et alimento detracto nimis debilitantur, et, qui ab utriusque discipulis fiebat, horum systematum abusus adduxisse videntur fanaticum Germaniae medicum, Hahnemannum, ut novum systema, scilicet istud abstinendi et nihil faciendi, quod dicunt *homoeopathicum*, fundaret, quod, quamvis ineptias sapiat, tamen assectatoribus non caret. — Sed etiam hic verum inter utrumque medium est; medicus rem examinans et ponderans, sedulae instar apis, mel ex floribus sugentis recta his ex variis doctrinis, quae aliqua certe in unaquaque insunt, exhauriet.

Manifeste hoc tempore morborum indoles et natura rursus nervosa fieri incipit, complicata cum morbis primariis paulatim evanescentibus; in prima quidem serie transitum facientes febres mucosae apparent et nuperrime Neuroses ex ingente morborum turba frequentiores emergunt.

Neuralgia, quam sub auspiciis patris mei carissimi in nosocomio Solodorano observandi data mihi fuit occasio, huius dissertationis inauguralis materiam mihi praebuit.

Inter morbos generis humani, qui a nosologia omni tempore inter Neuroses referri solent, qui praecipue systema sensibile in variis eius organis afficiunt eorumque functiones turbant, qui nervis insident, vel ex eorum

perturbatione et disharmonia vel ex eorum influxu oriuntur et in illis se manifestant, Neuralgiae peculiarem formant familiam, notata dignissimam. Morbos nervorum tam nostris quam prioribus temporibus vel in ipsis diversissimis systematibus celeberrimi adeo auctores, alii saepius sine connexu, ut fragmenta, alii ut morbos sensibilitate aucta, diminuta, modificata, abolita conspicuos tractaverunt; alii eos sub nomine neurosium docent esse dolores, paralyses, spasmos et convulsiones, cuius rei testimonium praeclarum manuale therapeuticum illustrissimi Frankii exstat.

Clarissimo Schoenleinio, praeceptori meo maxime venerabili, illam rem accuratius illustrare atque explanare contigit. Ille hanc morborum familiam rectius diiudicavit, optime pertractavit et pertractatae iustum in therapia locum assignavit. In cuius pathologia Neuroses tertiam classem systematis morborum et Neuralgiae secundam familiam Neurosium efficiunt, ordine quidem rei naturae aptissimo, nempe secundum principales nervorum systematis partes, ita ut in cerebralium, spinalium et abdominalium nervorum systematis Neuralgias dispescantur, simul indole et proprietatibus horum morborum tam anatomicis quam physiologicis et, quibus ab aliis morbis internoscuntur, discriminibus accurate additis. Cuius quidem divisionis summum, medicae praxis ratione habita, pretium eo cernitur, quod, praemisso universali tractatu et prospectu, ipsum universale facile et sponte in diiudicandis et curandis singulis casibus applicari potest.

Neuralgiae cum omnino his temporibus frequentiores

appareant quam antea, tum maxime in nostris regionibus frequentissime occurrunt. Quo rariores febres intermittentes cum manifestis symptomatibus, frigore nempe et calore, in his plagis aëre sicciore gaudentibus observantur, eo frequentiores Neuralgiae ob altitudinem geographicam, tractum montium, vicissitudinem temperaturae atmosphaericae et frigidiores ventos a septemtrionibus et oriente flantes conspiciuntur.

Patris mei diarium medicinale descriptas habet Neuralgias, quae admodum varias nervorum partes et corporis organa afficiebant. Aliae prosopalgiae similes erant, vehementissimae et per diu durantes, dentium et oculorum dolores; aliae nervum ulnarem lacescebant, quarum una, ex ulcere in articulatione cubitali sanato orta, illo rursus erupto sanabatur, duae artificioso in brachio ulcere et unguento hyosc. et extracto belladonn. imposito removebantur. Idem de pluribus Neuralgiis in inferioribus extremitatibus factum est.

Cardialgiae quoque forsitan non raro a potus spirituosius abusu, praecipue vini adusti, oriuntur. Quarum in nosocomio Solodorano cum patre meo casum observavi memorabilissimum. Vir 50 annos natus, diu vomitu habituali excruciat, nulli alimento digerendo par, cuius stomachus saepius quotidie omnia indigesta eiciebat et tum materiam chocolatae similem evomebat, valde emaceratus, lectulo per plures menses retentus, omni spe vitae prolongandae destitutus, quum nullum aliud remedium valeret, tandem aquam laurocerasi cum morphii parva dose miro cum successu sumsit, ita ut abhinc nutrimentis

digestu facilioribus vesci potuerit. Quo remedio per quatuor hebdomades continuato, lectum deseruit et, viribus recuperatis, corpore obeso sanus e nosocomio discessit. Quis est, quin nobiscum hunc aegrotum, vomitu materiae sanguinolentae consumptum, ventriculi scirrho aut cancro laborasse consentiat? Attamen successus morbum fuisse neuralgicum demonstrat.

Pars maior Neuralgiarum modo dictarum, quarum paene omnium periodi erant irregulares, chinino sulphurico, Cardialgiae plerumque magisterio Bismuthi et extracto hyosciami, aut variis opii praeparatis sanatae, interdum vesicantibus remedia interna adiuta sunt. Faciei et extremitatum Neuralgiae novissimo tempore aut nonnisi extracto stramonii, aut maxima certe ex parte eius usu, vel belladonna cum unguento hyosc. coniuncta et locis vesicatorio sauciatis imposita sublatae sunt. Haec methodus endermatica partim sine aliis remediis cum eventu optato tentata est. Uno in casu Neuralgiae primo aegroti aspectu urticatio est instituta, quae repetita prosperrime successit. Illo tempore ab academia in patriam reversus, quotidie patrem meum aegrotos in nosocomio Solodorand visitantem comitans, testis eram istius morbi, cuius historiam apud aegroti lectum accuratissime notatam sequentibus enarrabo.

G. K. ex W. in pago Solodorensi, vir XXXVII. annorum, structura procera, corpore macilento, constitutione nervosa et temperamento sanguineo, aliorum aetatis puerilis morborum non reminiscebatur, nisi variolarum, quas facies valde cicatricosa prodit. Anno XX.

actatis febre intermittente per longum temporis spatium protracta sese laborasse dicit. Postea agricultura, cui adhuc deditus fuerat, derelicta, rhedarii munere fungens, quaqua versum circumactus, interdium et noctu rebus noxiis, cum tali vita coniunctis, se exponere coactus, et potando, saltando omnique libidinum generi indulgens, vitam agebat minime laudabilem, quod hydosa corporis macies adhuc testatur.

Symptomata huius morbi praevalentia observabamus haecce: G.K. in nosocomium nostrum anno MDCCCXXXIII. initio mensis Septembris receptus querebatur de doloribus vehementibus in extremitatibus inferioribus, ab regione ossis sacri raptim cursantibus usque ad pedes, quos, ut in convulsionibus, in lectulo continuo iactitare cogebatur. Hi dolores raro aliquamdiu cessabant; sed paroxysmi saevissimi sine ulla regularitate interdium redibant, noctu autem ad summum usque gradum crescebant, ita ut aegrotus quietem ac somnum capere nequiret. Praecipua mali sedes in genibus erat, unde dolores sursum et deorsum nervos pervolabant usque ad pelvim et pedes, adeo, ut inter paroxysmos vehementiores commotiones, spasmos et tremorem musculorum emaciatorum sentire possemus. Simul primo iam tempore, quo in nosocomio aegrotus erat, perturbata organa cibis coquendis inservientia, gustus amarus, linguae superficies ex albo flavescens, appetitus depravatus, itaque complicatio gastrica vel e nervorum affectione, vel alia ex re orta, apparebant. Illa symptomata, absente omni febre, indolem morbi designabant, *diagnosin* satis tutam reddebant et medullae spinalis

Neuralgiam, quae sedem in extremitatibus inferioribus infixerat, adesse probabant.

Ipsa quoque *aetiologia* huius Neuralgiae haud difficilis fuit. Nam nervosa corporis constitutio, irregularis, qua aegrotus vixerat, ratio causas morbi praedisponentes posuerant; vis autem externa valetudini illata, morbi eruptionis occasionem dedit.

Inundatio enim Mühlhusiae, qua urbe G. K. illo tempore famulabatur, eum ad opem in hac magna calamitate ferendam coëgit. Tres fere deinceps dies semper, pedibus unda submersis vestibisque madefactis sub divo vel in horreis laborabat. Ex hoc inde tempore doloribus extremitatum atrocibus cruciabatur, ex quibus paulatim Neuralgia evolvebatur. Famulatu iugiter sustinendo non amplius par, ibidem nosocomium petiit, ubi octo menses commoratus, sed nequaquam sublevatus, contra adeo magis magisque doloribus excruciat, tandem ad Aquas Helveticas missus est; sed balneis hisce per quatuor hebdomades usus, cum eorum successum sentiret nullum, domum reversus consilium medicorum vicinorum imploravit, a quibus nosocomio Solodorano commendatus est.

Prognosis hoc in casu haud fausta poterat statui; nam morbi diurnitas, macies summa, virium consumptio, aliorum medicorum cura, iam incipiente morbo frustra adhibita, balneorum usus inanis auspicia omnino non fausta praebebant.

Therapia inveterato morbi statui congrua ineunda, ideoque Neuralgia fortiter impugnanda, inprimis autem removenda complicatione gastrica via ad remediorum, quae

malo neuralgico tollendo proprie inserviunt, usum aperienda erat. Itaque *indicationes* statuimus has:

- I. purgationem primarum viarum;
- II. sedationem atrocis nervorum doloris;
- III. irritationem cutis semiparalyticae, siccae, corrugatae.

Praescripsimus primo ex tartaro stibiato et radice ipecacuanhae in dosibus divisis emeticum, cuius effectus praesens erat et satis respondens optatui, sordibus pituitosis et valde biliosis evacuatis. Postero autem die infusum laxativum Vindobonense ad alvum amplius cendam datum est, quia lingua adhuc obducta et plenitudo abdominis tubum intestinale sordibus gastricis repletum indicabant. Larga inde et copiosae erant evacuationes per alvum; lingua nunc pura, gustus melior et alvus magis fluida reddita est.

Ut *indicationi* secundae satisfaceremus, remedia fortiora iam antea, etiamsi sine successu, adhibita fuisse persuasi, remedium stupefaciens efficacissimum, extractum herbae stramonii, dose duorum granorum, in aqua laurocerasi unciis duabus solutum, praescripsimus, quod quater die ad guttas viginti sumi et, aucta postea dose, diutius continuari iubebatur. Id remedium quum, quod speraveramus, non efficeret, tertiam exsequi *indicationem* decrevimus. Ad recreandum cutis vigorem, ad alliciendo in corporis superficiem humores, ad excitandas nervorum vires, denique ad sensibilitatem a ramis maioribus ad ultima filamenta nervorum per antagonismum traducendam, quin etiam ad materiam rheumaticam probabili-

ter simul agentem expellendam, aegrotum vivis urticis mane et vespere valde per totam crurum et pedum superficiem valde caedi iussimus. Iam primam hanc operationem, ex qua cutis callos ducebat, nox tranquillior secuta est, ut aegrotus quiete et somno, etsi dolor cutem ureret, gauderet. Dehinc ille forti animo urticationem patiebatur, cuius successus indies manifestior apparebat, ita ut, diminutis sensim remediis internis, decimo die doloribus neuralgicis liberatus lectum aegrotus desereret. Ab hoc tempore a remediis et internis et externis prorsus abstinuimus, ut, postquam talis urticationis effectus maxime mirus cognitus fuerat, illius virium saluberrimarum documentum quam certissimum et minime ambiguum haberemus. Quo autem haec observatio evaderet plenior, hominem emaceratum et debilitatum per aliquot hebdomades in nosocomio retinuimus, ubi et cibo et vino recreabatur. Indies appetitu augescente et vires et vigor corporis crescebant, gressus antea vacillans, firmior et certior intra et extra domum reddebatur. At homo levioris ingenii quondam musicam saltatoriam audiens, cupiditati saltandi superandae impar, clam evasit, et saltatione lassus vinoque ebrius rediit. Tum nihilominus e nosocomio dimissus est. — Ex hoc inde tempore G. K. valetudine bona gavisus est usque ad mediam aestatem anni 1834, quo anno omni libidini indulgens, simul frigori et madori expositus, in eundem illum, etsi nunc leviozem, morbum recidit. Iterum a medicis patriis ad Aquas Helveticas missus, sed nequaquam malo sublevatus, de novo nosocomium Solodoranum ingressus opem imploravit nostram,

et, eadem repetita cura, a patre meo sanatus brevi tempore ex illo discessit. Tum quoque ab academia redux factus aegrotum vidi eiusque, sicuti anno antecedente, curationi interfui.

Ille effectus eximius urticationis me impulit, ut diligentius de ea mecum cogitarem et, propriis observationibus destitutus, aliorum auctorum et libros evolverem et sententias reputarem.

Iam Hippocrates¹⁾ frictionem per urticas ad conservandos capillos, Celsus²⁾ eandem contra paralyisin commendat. Plinius³⁾ urticatione letargicos expergisci tactis cruribus magisque fronte asserit. Spiritus eius usum in exanthematibus oppressis suadet. Baglivi⁴⁾ dicit: „in retropulsa scabie si asthma fiat, urticis caedenda cutis.“ Camerarius urticas in letargia adhiberi iubet. Nostro etiam tempore urticationem illustris Hufeland⁵⁾ valde commendat et eam hodie oblivioni dari his queritur: „Es ist gewiss eines der vorzüglichsten Heilmittel, besonders bei chronischen Rheumatismen und Lähmungen, und übertrifft nicht selten alle die gewöhnlichen, selbst die stärksten, an Wirksamkeit. Bei chronischen Rheumatismen, die an Lähmung grenzen, habe ich einige Male, nachdem alle bekannten Mittel erschöpft,

1) Hippocr. de morb. mul. L. II.

2) Celsus L. III. c. 13.

3) Plin. L. XXII. c. 13.

4) Bagliv. opp. omn. p. 104.

5) Neues Journal d. prakt. Med. St. II. p. 15.

„dadurch Hülfe verschafft, dass ich den leidenden Theil
 „täglich ein Mal so mit Brennesseln streichen liess,
 „dass die bekannte Hauteruption, die der Nesselsucht
 „den Namen gegeben hat, erschien.“ Hunc effectum
 auctor exemplo e praxi sua, aliis remediis fortissimis fru-
 stra iam adhibitis, confirmavit. Aliud exemplum vires
 urticationis comprobans Dr. Schwarz¹⁾ affert: puella
 quaedam, purpura scarlatina retropulsa, in summum vitae
 discrimen adducta, urticatione, scilicet frictione per urti-
 cas ita facta, ut aculei folliculorum adversus cutem arrige-
 rentur, servata est. Ille dicit: „Kein Mittel kann in-
 „dessen hier unserm Zwecke mehr entsprechen, als die
 „Urtication, welche nicht allein einen allgemein über
 „den Körper sich verbreitenden, sondern auch einen dem
 „fehlenden möglichst ähnlichen Hautreiz hervorbringt.“
 Auctor illustrem professorem Arnemannum, praeceptorem
 suum, citat, qui hoc remedio in clinice Goettingensi op-
 timo eventu usus est et hoc mitius remedium vesicanti-
 bus aliisque irritantibus praefert, praesertim tum, ubi de
 cutis irritationibus lenioribus, sed celerius et latius valen-
 tibus agitur.

Quod remedium autem quamvis in Neuralgia, paralysi
 et exanthematibus retropulsis efficacissimum sit, tamen non
 semper et ubique in his morbis laudari et adhiberi posse,
 exemplum comprobabit hoc:

Vir, N. Str., cuius lectulus in conspectu supra
 commemorati G. K. erat positus, admirans felicem il-
 lius urticationis effectum, spe captus, fore, ut ipsi quo-

1. Hufelands Journal 15. B. 2. St. p. 183.

que urticatio mederi posset, vehementer hoc uti remedio cupiebat. Qui constitutione corporis robusta praeditus, sed paupertate in cubiculo humidior subteraneo per diu noctes transigere coactus, et quotidie gravi labore defatigatus, paralyti extremorum inferiorum afficiebatur. Quarum et sensibilitas et movendi facultas penitus erant deletae. Alvi atque urinae profluvium erat difficile. Ob paralyticam medullae spinalis debilitatem ille in lecto arrectus sedere non valebat. Ope galvanismi, qui fortibus fiebat ictibus, tandem sensibilitatem quidem et calorem non autem movendi facultatem recuperavit. Iam vero ipsas quoque commotiones a galvanismo illatas amplius ferre non valens vehementer urticationem postulavit. Sed haec ipsa quoque atroces ei dolores movit, ita ut ipse hac operatione dolente liberari cuperet. Utrum etiam ab initio huius curae, quum sensibilitas evanesceret, urticatio profuisset, necne, equidem nec affirmare nec negare audeo. Attamen hoc esse potuisse propterea haud infitias iverim, quod galvanismus in statu sensibilitatis abolitae utilis, illa autem redeunte intolerabilis apparebat. Fortasse lenior et cautior urticarum usus, qualem, ut supra exposuimus, viri illustres, Hufeland et Schwarz suadent, felicior eventum habuisset. Quum et galvanismi et urticationis successum videremus prorsus nullum, strychninum caute quidem et parva dose adhibuimus. A quo autem remedio, alioquin in similibus casibus saluberrimo, mox spasms tetanicis exortis abstinere coacti sumus. Tum vero ad camphoram, in talibus casibus saepenumero utilissimam con-

fugimus, largiore dose et paulatim adeo ad scrupulum quotidie praebitam, in forma quidem pulveris, vel mixturis et pilulis inditam: alternis vicibus extractum valerianae et arnicae et infractiones adiuvantes e spiritu vini camphorato et saponato cum cantharidum tinctura adiunximus. Quorum remediorum optimo gaudens effectum aegrotus post duos menses lectum dereliquit et tertio mense in nosocomio ambulare potuit.

Respicienti curationem supra memorati G. K., quum hic magis de sedatione dolorum et imminutione irritationis, quam de auctione virium ageretur, istum egregium urticationis effectum a sensibilitate, fortasse humoribus acerbis ad corporis superficiem allicitis vel secretionem et excretionem aucta a ramis nervorum maioribus ad fines eorum periphericos deducta, profectum esse mihi satis probabile videtur. Quis enim est artis medicae gnarus, quin vitia interna gravissima a natura quidem per impetigines serpiginesque vel per aliam metastasin ad corporis superficiem pulsam, ab arte autem naturam imitante saepe felice eventu per exutoria, fonticulos, exanthemata a thermis progenita, etiamsi paulo tardius et gravius, quam per urticationem, extinguere quotidie observare possit?

Illis observationibus morbi et sanationis G. K., paralytici N. Str. et vomitu habituali laborantis N. N., quos simul in nosocomio Solodorano in feriis autumnalibus anni 1833 vidi, adductus, non tantum istum morbum neuralgicum dissertationis inauguralis materiam eligendi, sed etiam eidem huic morbo in itineribus meis et in no-

socomiis universitatum, si quas ab illo tempore frequentare liceret, studium et operam singularem navandi consilium cepi. Itaque iam hieme sequente Herbipoli aliquos Neuralgia, praesertim Cardialgia correptos felici eventu ope hyosciami et opii curatos et inter alios iuvenem bonarum literarum studiosum, Prosopalgia laborantem, intus hyosciamo, extrinsecus methodo endermatica, scilicet applicatione extracti belladonnae adhibita, sanatos consexi. Superiore hieme in clinice Montpellensi, duce claro Dr. Gaizerquio Neuralgias varia organa adortas, saepius autem Cardialgias observavi. Tunc Gallicos medicos, systemati Broussaisii adstipulantes et adhuc ubique gastroenteritidem adesse suspicantes, hirudines quidem omnibus ceteris remediis antepone, neque vero etiam medicamenta tonica narcotica, et irritationem deducantia negligere intellexi. Omnino illi Broussaisii doctrinae non caeci amplius adhaerentes, sed nonnunquam in Neuralgia statum nervosum praevalere fatentes, ubicunque periodici apparent paroxysmi, chinino, ubi vero nervorum sensibilitas praevalet, remediis narcoticis utuntur. Inter Neurophlogosin et spasmum discrimen facientes, illum, praesertim ubi plethora vel suppressa sanguinis profluvia vel contusio adest, methodo sanguinem detrahente, levibus nutrimentis et diligentissima a cibo potuque nimis nutriente vel naturam excitante, imprimis a carne et vino abstinentia tollere student. Vesicantibus utuntur, ubi exanthemata retropulsa vel metastases aliorum morborum vel adsunt vel morbi causae efficientes subesse putantur.

Huius principii magis rationalis et rectoris iudicii et curationis Neuralgiae testimonium praebet clari Pyorri commentatio¹⁾ in eius opere clinico, cuius recensionem ephemerides medicinales continent. Quae commentatio quamvis novam lucem et novas sententias egregias non afferat, tamen medicinae practicae quam maxime prodest. Ille medicus ubique antispasmodicorum usum fieri reprehendit et in prima statim observatione sua curationem Neuralgiae a contusione nervi ulnaris ortae enarrat, hirudinibus et cataplasmate effectam. In quarta observatione malum ischiadicum lapsu progenitum venaesectione, hirudinibus et vesicantibus debellatum esse demonstrat. In sexta observatione Neuralgiam per plures annos antispasmodicis resistantem, hirudinibus tandem et chinino fugatam videmus. Asthma vero inde profectum nonnisi extracto dente carioso curatum est.

Inter remedia antispasmodica Pyorri praestare censet morphium, stramonium et belladonnae praeparata, tam intus quam methodo endermatica eodem adhibenda modo, quo pater meus, sicuti ipsius diarium testatur et egomet ipse vidi, in nosocomio et praxi sua iis uti solet. In Prosopalgia Galliae medici pilulas Meglini, extracto valerianae, hyosciami, floribus zinci et camphora compositas amant. Saepius in pertinacissimis Neuralgiae casibus, praecipue in Prosopalgia resectionem affectarum partium nervorum laudatam ac commendatam esse satis constat, eamque operationem iam feliciter peractam esse se-

1. Gazette médicale. 1835 p. 36.

cunda et tertia Pyorrii observatio testatur. Sed idem tamdiu solum profuit, donec vulnus pateret. Quid autem proderit, ubi excrescentia adest, vel per nodulum pressio mechanica in nervum exercetur? Quodsi adeo nodulus removetur, quomodo reunio prohibebitur? quomodo tandem salus sperari poterit, si diuturno malo nervus emolitus, siccatus vel quapiam alia ratione desorganisatus est, vel dispositio cancrosa intercedit, salus sperari poterit? Difficile ibi quodcumque curae periculum, ubi *diagnosis* difficilis; sed etiam tum anceps remedium melius, quam nullum.

THESES DEFENDENDAE.

1. Non est morbus simplex.
 2. Phthisis morbus contagiosus.
 3. Delirium tremens non morbus inflammatorius.
 4. Non est ulcus simplex.
 5. Catheteres metallici sunt rejiciendi.
 6. Extractio lentis anteponeunda depressioni.
 7. Torsio arteriarum est rejicienda.
 8. Resectio in extremitatibus inferioribus non est adhibenda.
 9. Strychninum non narcoticum.
-



